

Kim Dae-geon's Report (1845)

Generalis Notitia Super Nascentem Ecclesiam Coreanam

Corea ab initio fuit dedita variis superstitionibus et ridiculis sectationibus, praecipuè cultui mortuorum parentum, Confucii philosophi Sinensis, Sekaelis Budae, Seng tsou (deus protegens familias), Ttetsou (moderator domorum), Samsin (creator humani generis), Tsiesek (genii), Kounoung (genii), Malmieng (divinitas parentum), Senangtang (deus protegens universa), Iengtong, Taipak (dii familiarum seu domestici, bonorum malorumque remuneratores), Kouanou (deus belli, sinicus vir) Tsikseng (divinitas avertens mala), Miriek, etc etc etc... etc...

Sectae principales sunt : sectae Bonziorum, Moutang, Caelorum, Kontsihak, Taioukin, Sooukin, etc...

Fuerunt tamen ab initio inter tot errores risibiles, quidam viri rectoris conscientiae, qui naturali lumine verum Deum noverunt, et quadam religione eum coluere. Dùm Jesuitae in Pekino multā famā florere, nonnulli magistrati et doctorum appellatione elati, ideam de religione christianā ex Pekino redeuntes in Coreā disseminarunt

: et nonnullos libros de religione tractantes secum attulerunt. Eadem tempestate, quidam philosophus nomine Hong Iohan, qui jam Deum Creatorem existere, naturalium rerum discursu sibi persuaserat, cū quemdam librum de catholicā religione agentem inspexisset, veritate intellectā, Deum more Christianorum colere coepit. Sed quū adhuc ignoraret rudimenta religionis, nec sciret leges christianas, solum per singulos menses, diem 7am observabat, uti forte quādam antiquā traditione, dies 7mas prae aliis venerabiliores esse, docente, sciebat. Hic ad summam senectutem, cum sanctitatis laude proventus, vitā functus est.

Dein fuerunt multi alii philosophantes, qui supremum omnis naturae Parentem ac Provisorem agnoverunt. Inter eos celebrior fuit vir nomine I Pieki (nomen baptismi Joannes Baptista). Hic magno studio veri Dei cultum inquirens, cū audivisset religionem Domini Coeli nuncupatam in Pekino florere, statuit homines mittere, qui illius religionis libros afferrent.

Transacto demum aliquot temporis spatio, quūque legati proficiscerentur versū Pekinum ; filius tertii legati I Senghungni dictus, adiit doctorem I Pieki, eique se in Sinas profecturum affirmavit. Itaque I Pieki, bonam occasionem nactus, hortatus est I Senghungni, ut quū Pekinum pervenerit, viros Europeos, Jesuitas scilicet, adeat, et ab eis libros religionis Domini Coeli petat.

Igitur I Senghungni, postquam Pekinum appulit, se contulit ad episcopum civitatis, à quo perbenè receptus, sacro baptismatis fonte ablatus est, et in baptismo accepit nomen Petrus.

Ex Pekino religionis catholicae libris et objectis religiosis oneratus in Coream rediit, et sic introducta fuit religio Christiana in Coream, anno Salutis 1784. Itaque doctores et magistrati, intellectā religionis catholicae veritate, Christo nomen dederunt, multi quoque omnis conditionis et status homines, relictis paternis erroribus, ad verum Deum sese convertere coeperunt.

Tunc I Senghungni, Kouen Ilsigni, I Tsontsang Tanouen, Ttsoi Ttsangiengni, Iou Hangkemi, maximo zelo flati, sese episcopos et presbyteros constituerunt, ac sacramenta baptismi, confirmationis, poenitentiae etc... administrantes, cum magnā celebritate Missam decantabant.

Ita crescente numero Christianorum, isti famosi episcopi et sacerdotes suā religiositate totam Coream convertere aggressi sunt. Demum suum errorem forte agnoscentes, statim missam celebrare, et sacramenta administrare cessarunt, ac hominem in Sinas ad Episcopum Pekinensem misēre, qui rationem de suā missione redderet, et omnia acta referret.

Episcopus ut omnia audivit, jussit, ne illi episcopi et sacerdotes amplius sacramenta administrarent. Dicto obedierunt, errorem deflentes, et postea ortā persecutione, omnes propter fidem occisi sunt.

Religio non diu fuit libera, nam 7mo anno postquam in Coream introducta fuit, id est 1791, aulici, qui erant ex principio apud ministros regni Coreae famoso Piek, (principium contrarium Piek vocatur Si, et a parte Si religio in Coream invecta fuit,) contra partem systematis Si surgentes, omne odium in Christianos converterunt, et nomen Christianorum prorsus delere aggressi, cum licentiā regis (qui invitus permisit) persecutionem concitarunt. Haec fuit prima persecutio generalis.

In hac persecutione, primae classis doctor, nomine Ün Tsittsoungi Paulus, pro fide Christi fortissimè dimicans, primus omnium sacrum in martyrio sanguinem fudit pro fide Catholicae religionis. (Hic est protomartyr Coreae.)

Dein fuit tranquillitas per aliquot annos, donec 1795, ortā Christianorum vexatione, multi interficerentur. Eodem anno, sacerdos Sinensis Jacobus Tseou missus est. Tùm per 7 annos Christianis pax fuit. Interea numerus fidelium multum crevit. Sed mortuo rege Christianorum favitore, summa potestas ad Reginam delata est.

Tunc Piekistae, qui et Noron vocantur (sunt religionis christianae hostes) sub auctoritate Namin (hi generatim sunt Sistae et Christianis favorabiles) per multos annos humiliati respirare coeperunt, et adversus Namin (inter hos multi erant Christiani) surrexerunt : tùm summum imperium a Namin ad Noron transiit.

Itaque Regina (quae etiam erat de Noron Piekistiza) hortantibus ministris Noron de systemate Piek, praecipuè contrā Christianos furens, eorum nomen de Coreā prorsus, ut dicebat, tollere aggressa est. Quare edidit, ut omnes Christi servi internecioni traderentur. Haec fuit tertia persecutio, anno 18 postquam coepit religio esse in Corea, et salutis 1801.

In hac persecutione, plurimi magistrati et nobiles ac ipsae principes christianae et fratria regis occisi sunt : atque Pater Jacobus Tseou, prodente eum quodam daemónico fidei, nomine Kim Iesami, martyrii coronam adeptus est.

Dein, defuncta reginā persecutrice, per aliquot annos Christianis pax concessa fuit. Mox anno 1816, magnā persecutione in Christianos saevitum fuit. Hāc in quarta persecutione, Ambrosius Kim Kounmi, apud Coreanos fideles celebris, propter Christi fidem libere captus, cùm, ut dicitur, Deo monente, per quadraginta sex dies ori nihil, nequidem guttulam aquae admovisset, mortuus est in carcere.

Eādem ferè tempestate, quidam philosophus, cui nomen Alexius Hoang Saiegni, magnam gratiam apud regem habens, cùm videret religionem Christi nimis opprimi, dolore tactus, artificiosè scripsit litteras Sanctae Sedi, petens, ut mittat naves ad religionis libertatem vi obtinendam. Haec epistola in Eitseou à satellitibus capta est. Litterā apertā, nihil invenerunt, nisi puram cartam. Tum virum, qui portabat, cum cartā in civitatem capitalem Seoul perduxēre.

Hi cognoscentes esse scripturam artificiosam, applicato modo legendi, omnia judici retulerunt. Tunc acerbè saevitum fuit in Christianos : et Alexius comprehensus multa passus est, non solum propter religionem, sed insuper ob suam epistolam. Corpus ejus in sex partes divisum projecerunt.

Dein 1819, 1828, 1833, et 1836mo anno, Christianorum vexatione exorta, multi sanguinem pro fide insuperabili constanti fuderunt; et pluriès in 2da Coreae Provinciā Tsoungtsengto persecutiones exortae magnam Christianorum turbam interemerunt.

Igitur per 33 annos Christiani sine pastoribus fuerunt : interim, Deo protegente, fidelium numerus non fuit diminutus, sed semper de die in diem crevit. Tandem Deus misericors coreanis Pastores concessit. Itaque an. salutis 1831 Pater Pacificus Sinensis Iu advenit, sed 1835 repatriavit. Mox 1834, P. Maubant, J. Chastant 1835 et 1836 R. Ep. C. V. Ap. C. Imbert missionarii Galli de Societate Missionis ad Extraneos, in Coream ingressi sunt.

Tùm conversio paganorum facilis videbatur ; crescebat autem fidelium multitudo, et fervor augebatur, atque omnia florebant. At 1839mo salutis et anno aerae Christianae apud Coream 55° neophitus quidam nomine Kim Iesangi Joannes, pecuniae cupidus, in primis christianos, deindè Patres prodidit. Sicque numeratur quinta persecutio.

Hanc regina impedire cupiens, invalescentibus ministris Piekistis, praesertim Tso Mangnengi (primus gubernii minister), non potuit. In hac persecutione, R. Ep. C. V. Ap. C. Imbert, P. Maubant, J. Chastant et 200 ferme Christiani prostrati sunt. Itaque numerus omnium martyrum in Coreā referri potest ad octo centum vel plus.

Ab anno 1839 usque nunc, per 5 annos Christiani pace fruuntur, sed sine pastoribus gemunt.

Spero tamen, quòd Deus misericordiarum Pater suae pietatis memor, brevi pastores mittet, qui suas oves congregent dispersas, sic fiat unum ovile et unus pastor.

PERSECUTIO KEI HAI 1839° FACTA

Verè deflendum est, quod ab initio nascentis Ecclesiae semper ubique reperiantur falsi fratres : non tamen mirandum mihi videtur, cùm in Apostolorum tempore, testante S. Paulo, non defuerint, et in

ipso Ecclesiae cunabulo, inter duodecim Apostolos extiterit Judas proditor, qui non paucos ubique reliquit discipulos.

Hinc etiam in Coreā multoties persecutiones exortae sunt propter pseudo-fideles. Inter hos praesertim Kim Jesami anno salutis 1801 Ecclesiae coreanae magno damno fuit.

Hunc 1839 Kim Jesangi, nomine, Joannes imitatus, maximam Christianis calamitatem intulit. Hic de nobili familia oriundus, viginti annos natus unā cum uxore religionem christianam amplexatus, in primis fidelis legum christianarum observator fuit. Nam propter fidem a parentibus acerbè persecutus est ac multa sustinuit. Demùm a cunctā familiā agitated, ut Deo serviret, relictis omnibus, a domo paternā aufugit. Cùmque trigesimum annum ageret, maximā inopiā oppressus, pauperrime vitam ducebat, et propter suam malam agendi rationem, non magnificiebatur a Christianis.

Deindè circa novembrem an. 1838 adiit satellites, et acceptā pecuniā, aliquot Christianos prodidit ; et postea codicem, in quā descripserat nomina omnium Christianorum quos cognoscebat, eis obtulit. Tunc Kim Iengi et Cou Sinei secundi tribunalis Potseng iudices mandatum satellitibus dederunt, ut ubique Christianos comprehenderent.

Haec ubi ad Reginam delata sunt, virum nomine Tso Piengiegni nominavit iudicem primi tribunalis Iengtso. Hic creatus primus iudex, adiit primo Kim tsengei secundae classis aulicum, cum quo maximā familiaritate utebatur (Kim Tsengei catechumenus nunc est in exilio), eique se brevi Christianorum vexationi finem facturum affirmavit.

Tunc aulicus Kim Tsengei, laudato iudice, Episcopum monuit, ut, relicto metu, bono esset animo : simul Christianos hortatus est, ut summoperè caverent : etsi forte aliquis eorum capiatur, forti animo fidem defendat, nullumque alium ob metum suppliciorum prodat.

Inde putatum est, brevi Christianis pacem esse concedendam. Sed heu! spes hominum saepe in contrarium vadunt.

Kim Ioukegni Reginae frater (penès hunc erat summa regni auctoritas et ipse se ad verum Deum conversurus videbatur) Christianorum favitor, gravi morbo laborans mortuus est, et tum summum imperium ad ministrum Tso Magnei transiit.

Hic simul ac potestatem obtinuit, unā cum I Tsigegni, et regio nuntio Tseng Keihoa, contra religionem christianam rabidus, invitā Reginā, (avia scilicet regis praesentis) omnes Christi discipulos capi de novo jusserunt.

Itaque Kim Iengi et Cou Sinei supra memorati, omni ferocitate Christianos esse vexandos sibi persuaserunt : quare captos immane torquere, fugientes acerbe persequi coeperunt. Non solum viri ac mulieres sed etiam infantes internecioni tradebantur ; ipsaque bona diripiebantur.

Ad haec Tso Pienggegni multum laborabat, ne Christianorum persecutio auferretur ; demum edidit, ne quis satellitum bona Christianorum tangere auderet (hoc edictum non diu duravit), sed et redderetur quidquid sublatum : multos quoque satellites poenā exilioque damnavit, et in ipsos iudices Potseng severè animadvertit, minans se, si melius agere non studerent, apud reginam accusaturum. Deinde christianos innocentes morti tradere nolens, reliquit suam praefecturam.

In eodem ferè tempore Tso Ignengi, unus ministrorum regni, iudicibus tribunalis Potseng mandatum dedit, ut christianorum turbationem ante novum annum, id est 1839, componant ac finiant. At Cou Sinei malus iudex, malè intelligens, omnes christianos necandos esse putavit. Itaque omnes incarceratos, usque ad infantes et suos ministros trucidavit. Hanc propter causam Cou Sinei dignitate privatus a populo deridetur. Demùm crescente persecutione Christiani turbatim sese fugae committere coeperunt.

Tunc proditor Kim Iesangi circa lunam 7am anni 1839, cùm a principibus potestatem accepisset, ut episcopum et Patres caperet, cum multis satellitibus ad christianitates profectus est ; per omnes regiones, in quibus fideles Christi domicilium habebant, pertransiens, infinita mala intulit ; bona cuncta spoliando, omnia perturbando Christianos vexabat. Eisdem innumeris contumeliis, atrocissimis suppliciis afficiens ad apostasiam cogebat. Hic postquam intellexit se non posse efficere, ut Christiani vi injuriarum et tormentorum fracti patres proderent, alium modum excogitavit.

Relictā igitur omni barbarie, maximae pietatis fucō se ornavit, ac unā cum satellitibus religionis insignia super se gestans, primo se in Surisan contulit. Incolae illius regionis videntes satellites, se invicem cohortati sunt ad sanguinem pro Deo forti animo effundendum, et sexaginta ferè homines tenentes infantes, commigrantium more ad tribunal perrexerunt, sed major eorum pars, vi tormentorum fracta, relicto Deo ad sua rediit.

Eadem fere tempestate in Seoul quinquaginta mulieres, inito inter se consilio ad tribunal pergendi, vestimenta conficiebant, sed à quodam à proposito deterritae sunt.

Dein proditor abiit in regionem cui nomen Hantecol, et multa mendacia de pectore suo extrahens, quosdam juvenes in errorem induxit. Dicebat vir diaboli cum satellitibus, religionem catholicam obtinuisse libertatem, reginam ministrosque regni, intellectā religionis veritate, proposuisse nomina sua Christo dare, et de Patrum adventu certiores, seipsos misisse ad Patres in palatium introducendos; caeterum se ignorare, ubi sint patres, quare necesse esse, ut aliquis fidelium indicet locum, in quo commorantur.

Inde abiit ad Christianum nomine Iesarengi, quem acerbissimè cruciavit, ut indicaret locum habitationis Episcopi. Dolore victus ille dixit se quidem ignorare Episcopi domicilium, sed alium nomine Andream Tseng probabiliter cognoscere.

Tunc proditor et satellites, cum Iesarengi (hic postea captus fuit occisus) cursum direxerunt ad Andream Tseng. Hunc tenentes, ut supra, multa ridicula dicendo, decipere aggressi sunt.

Dum haec geruntur, Reverendissimus Episcopus latitabat apud Andream Son, et semper habebat animam libere incidendi in manus persecutorum, et hac de re convenerat cum

patribus. Misit tunc suum ministrum nomine I Thomam in urbem capitalem Seoul, ut pecuniam et nuncia afferret.

Interea Andreas Tseng deceptus, cum Judā Kim Iesangi, et satellitibus ad episcopum venit, et solus introductus, laetā facie Illustrissimo Praesuli exposuit, ut audierat, scilicet quòd Regina et omnes ministri volunt fieri christiani etc... etc... etc...

Quo audito, Episcopus respondit : "Tu a daemone es deceptus." Dein celebrato Missae sacrificio, procedens captus est. Videns Andreas Son, cum fletu Episcopum sequebatur, petens ut sibi liceret cum eo ad mortem ire, sed ad momentum fuit prohibitus, et postea captus pro Deo sanguinem fudit.

Satellites Revmum Praesulem in sellā gestatoria collocantes in Seoul perduxerunt. Tunc ad episcopum introducti sunt Augustinus Iou, Paulus Tseng, Carolus Tso, Ignatius Kim (pater meus) et alii multi christiani, et Pastoris sui praesentiā roborati ad sua reducti sunt. Post haec missi sunt satellites, qui duos Patres comprehenderent.

Eādem tempestate Patres de Episcopi comprehensione certiorati, navim conscenderunt, ut fugerent. Tum Thomas I et Petrus Tsoi, a Patribus dimissi, ut ille in Seoul iret, hic vero in Kounputai ad pecuniam afferendam, profecti sunt.

Post unam diem iter facientibus eis obviam fuit Andreas Tseng, et lacrymans narravit, quod propter suum errorem Episcopus in manus satellitum traditus est. Cum transirent quemdam locum, satellites de diversorio repenti exeuntes Andream Tseng comprehenderunt, Thomam vero cum Petro abire permiserunt, ignorabant enim eos esse Christianos. Dimissi intrarunt in domum cujusdam Christiani ad pernoctandum.

Interea Andreas Tseng, ut prius deceptus, satellites conduxit ad Christianum circa mediam noctem, apud quem tunc hospitabantur Thomas et Petrus, qui videntes, ille in arcā, iste subter foenum sese occultarunt.

At Pokio, satellites, circumseptā multitudine domo, ubique scrutantes, primò Petrum inter foenum inhaerentem tenuerunt, deindè Thomam e cunis extractum ceperunt. Tùm eos in diversorium pacificè ducentes perhumanè habuerunt, et his similibusque verbis eos alloquebantur :

“Quantas verè persecutiones sustinuere Christiani, et certe tunc, ut arbitramur, ita persecuti sunt olim reges et ministri, quia sine ratione et consideratione omnia agebant ; hodie vero Regina Kim Taipi et ministri ejus, profundius religionem examinantes, veritatem agnoverunt; ideo nunc universim Christo nomen dare volunt : itaque his diebus Regina Episcopum ad se adduci jussit, et viso eo, supra modum gavisā, in palatio residere fecit ; simul mandavit, ut ei vestimenta optimis telis conficerentur : ac hodie cum omnibus regni ministris atque principibus, disposuit, ut tota gens Coreana ad verum Deum convertatur ; sed id, nisi convenient patres, fieri non posse, rata, nos misit ad Patres in palatium introducendos : et revera si attentius consideremus, facillime religionem christianam verissimam esse agnosceremur.

Sola Patrum agendi ratio veritatem religionis nobis explicat : illi patriam relinquunt, parentibus, fratribus, amicis, notisque in aeternum valedicunt, et in hanc alienam regionem, transactis tot millibus leucis, novies morientes et semel viventes, venerunt, et nihil sperantes, suis utuntur pecuniis et propriis rebus, et numquid sic longè veniunt ad mentiendum? Si non esset vera religio, quam praedicant, quā dementiā sic agerent.

Et nunc verò vos, qui Patrum, ut nobis relatum est, ministri estis, procul dubio scietis, ubinam commorentur Patres.”

Ad haec responderunt alumni, se patribus in mari valedixisse, ideoque quòd abierint ignorare : caeterum rationabilius esse se supplicii cogere ad patres prodendos, quam sic subdolis verbis decipere. Tunc satellites in iram conversi sunt, undè admoverunt cruciatus.

Dein in se reversi dixerunt : “Ah! certè gubernio supervenient calamitates ; regnum innocentium sanguinem sic effundens, quomodo poterit diu in pace strare?” Respondit Thomas : “Si ita est, cur vos sic persequimini?” “Nos”, responderunt satellites, “solum ex obedientiā hoc praestamus ; ideoque non est in nobis peccatum : nos etiam habemus fidem et caritatem, solum spem nondum habemus.”

Post haec, Thomam cum Tseng Andreā dimiserunt, ut irent ad patres quaerendos. Itaque ad patres advenientes, narraverunt omnia quae sibi acciderant, et volentes ad satellites redire, prohibiti sunt.

Interea satellites de reditu Thomae desperantes, Petrum molestare coeperunt. Advenit eo momento Pokio quidam nomine Son cum epistolā Episcopi. Reverendissimus Praesul Imbert videns res tam in miserabilem statum redactas, litteras ad Patres scripsit, ut cito ad mortem advolarent.

Eādē tempestate, ferē omnes fideles ad luctum conversi, non habebant, nisi animum moriendi cum suis pastoribus, et reverā ante et post mortem multi sese in manus satellitum tradiderunt.

Tunc Petrus cum Son se contulit in Seoul, et acceptā ab Episcopo novā litterā, cum eodem Son et satellitibus ad Patres profectus est ; sed in viā , deceptis illis, se in fugam convertit, et epistolā per quemdam christianum ad Patres missā, se abdidit inter rupes montis.

Interim satellites Petrum fugisse rati, dolentes lacrymati sunt, et novā viā Patres quaerere coeperunt. Fideles autem, quantum poterant, patres occultabant et occultiora domicilia disponebant ad eos recipiendos. Sed ipsi, perlectā epistolā, fidelibus dixerunt : “Nunc finitum est ; habemus mandatum episcopi, debemus cito proficisci ad Seoul.”

Audientes Christiani, in lacrymas et gemitus conversi sunt, et optantes unā cum patribus ad mortem ire, vetati sunt. Postea Patres praemiserunt duos christianos, unum cui nomen Kim Alexius sub specie mercatoris, alterum agricolae (satellites non erant longe), qui satellitibus occurrerent.

Dein cū fideles, praesentes verbis, absentes litteris consolassent, dicto Missae sacrificio, ad supremum (heu!) supplicium profecti sunt. Tunc fletus magnus factus est inter Christianos.

Post solis occasum, recepti sunt Patres in domum cujusdam christiani prope oppidum Hongtsou commorantis. Quum vix finivissent coenare, Alexius Kim advenit, satellites ad ostium stare nuntians. Tunc Patres exeuntes in horto super matta sederunt, et introducti satellites salutem dixere. Dein primus eorum nomine Son quaesivit, quis esset Pater Maubant et quis Chastant : nihil respondentibus patribus, ipse distinxit.

Postea patres interrogarunt his verbis : “Nos ex mandato venimus ad Patres quaerendos, sed ipsi quomodo vultis agere?” Quibus responderunt : “Vobiscum ibimus.” Satellites : “Si ita est, opus non est, ut nunc paternitates, seu Sin-Pou, nos sequantur : jam enim appropinquat media nox, et per viam abundans ros vestimenta patrum madefaciet, ideoque tranquillè hic pernoctate : nos autem ad diversoria pergemus, et cras veniemus ad patres recipiendos.”

Ad haec patres : “Non ita, nunc eamus.” Itaque iverunt simul ad diversoria, et disposerunt patribus cubiculum stratum ; ipsi vero dormierunt extra,

Mane surgentes, ad Alexium : “Nos juxta mandatum superiorum conducimus quidem patres, ratio tamen non est, ut aliis noceamus ; ideo quando praefectus (debeant adire primo praefectum loci) te interrogabit, respondebis eodem modo ac nos : nequaquam igitur dices patres esse captos in domo cujusdam christiani, sed in via nobis cum patribus obviam fuisse.”

Inde intrarunt in oppidum Hongtsou. Praeses jussit ad se introduci patres. Cumque essent introducti, ablato e capite pileo, genuflectere moniti, responderunt : “Quomodo possumus in terrā genuflectere?” Demum allata mattā sederunt.

Praeses, visis patribus, ait : “Pauperes, digni sunt compassione.” Dein sacco indutos in canistro ex foeno oryzae facto locantes, ac super equo imponentes profecti sunt. Sequutus est autem Kim Alexius, sed contradicentibus patribus rediit.

Postquam in Seoul pervenerunt, ad episcopum ducti sunt. Manserunt in quaestionibus per decem dies, Episcopus verò unum fere mensem, et eodem die tres simul interfecti sunt.

Christiani post mortem pastorum adhuc per duos annos amplius persecuti sunt, et sine domiciliis vagantes mendicabant. (an. 1839 facta est fames extrema in toto regno) Demum charitate refrigerata, ad spiritus languorem redierunt. Hodie vero, sensim ad Religionem accenduntur fideles, fervor crescit, apostatae paenitentes revertuntur, ubique auditur paganorum conversio ; religio Christiana laudatur, Christiani probi dicuntur.

Sed heu! messis quidem multa, operarii autem, rogate Dominum messis, ut mittat operarios ad messem suam!

ACTA QUORUMDAM MARTYRUM PRAECIPUORUM

QUI ANNO SALUTIS 1839 IN CAPITALI URBE COREAE SEOUL AUT HANGNAN PRO CHRISTI FIDE SANGUINEM FUDERUNT

LAURENTIUS PEM Episcopus CAPSENSIS Vicarius Apostolicus Coreae (IMBERT)

Laurentius IMBERT V. Apostolicus Coreae, in suam missionem ingressus fuit 1837, et intra duos menses linguam Coreanam sufficientèr cognovit, ut confessiones suscipere posset.

In primis commorabatur in Seoul, dein Christianos visitandi gratiā, ad alias provincias se contulit. Tunc verbis et exemplo fideles instruebat ; incredibili zelo ferebatur ; summoperè laborabat in libris et precibus in Coreanam linguam convertendis. Frequentèr orationibus atque meditationibus vacabat ; ter in hebdomadā jejunio corpus suum affligebat, ducebatque vitam omnino austeram.

In visitatione Christianorum iter pedibus conficiebat. Oves suas maximā cum caritate ac paterno amore prosequatur, earum ruditatem ac ignorantiam incredibili cum patientiā ac benignitate sustinebat.

Posteà iterum in Seoul rediit. Cùmque duos circiter annos in suo ministerio transisset, ex multis locis persecutiones exortae sunt, et plures fideles internecioni tradebantur. Tunc ipse Reverendissimus Episcopus in hac calamitate christianos omni caritate succurebat, viventes consolabatur, occisos sepeliebat. Sed crescente saevitiā persecutorum confugit in rura, ibique latebat apud quemdam Christianum nomine Andreas Son. (Hic postea fuit martyr et dives.)

Intereà Christianus, cui nomen Kim Iesangni Joannes, (in quem intravit diabolus) societatem inivit cum daemone et ministris ejus, et statuit episcopum prodere.

Ut suum propositum aptius consequeretur, multa mendacia composuit : itaque ipse unā cum satellitibus prae se gestabat rosaria, cruces et habitum Sodalitatis B. M. V. de Monte Carmelo etc., et abiit per montana loca ad Christianos dicens : “Bono animo estote, et nolite timere, nam ecce Christiana religio libertatem obtinuit, regina et alii intellectā Religionis veritate, volunt fieri Christiani, itaque nos miserunt, ut Episcopum quaereremus et conduceremus in palatium Regis etc... etc... Sed nescimus, ubi sit episcopus ; quare vos indicate nobis locum, in quo moratur Episcopus.”

Sic multa dicens, maximam religionem ac fervorem prae se ferebat. Tandem, quidam nomine Andreas Tseng (postea fuit martyr) audiens haec adeo laetitiā cumulatus est, ut prae gaudio saltans clamorem ederet. Tunc affirmans se scire locum, ubi est episcopus, et abiit cum eis. Judas autem et satellites videntes eum decipi totis viribus eum retinebant.

Cumque non longè essent regioni in quā erat Reverendissimus, Andreas Tseng, relictis Judā proditore et satellitibus, adiit episcopum, eique exposuit omnia quae audierat et credebat. Quo audito, Reverendissimus Episcopus dixit : “Es deceptus.”

Deinde scripsit epistolam ad Patres, et celebrato Missae sacrificio, procedens obviam satellitibus captus est. Tunc Andreas Son, qui cum episcopo erat, (minister autem episcopi Tomas I missus erat in urbem Seoul ad pecuniam afferendam) impotens impedire malum, voluit cum Episcopo capi et mori, sed prohibitus est ab Reverendissimo.

Judas et satellites videntes Episcopum, in terram procidentes venerati sunt. Tunc Reverendissimus multa de veritate religionis christianae disseruit, et audientes pagani applodebant doctrinam.

Post haec satellites Episcopum reverentè in sellā locantes, duxerunt in Seoul ad judicem.

Illi Pokio seu satellites ex parte suā Episcopum perbenè ac humanè tractarunt, in viā non ligarunt, cibos convenientè illi dederunt, et confidentes non custodiebant. In ista persecutione verè multi satellites fuerunt multum erga Christianos misericordes.

Tunc judex jussit Paulum Tseng, Augustinum Iou praefectum, Carolum Tso (erant jam capti) adduci ad Episcopum, qui eos ad martyrium exhortatus est et dixit, duos patres jam proditos esse, sed non debere designari loca, in quibus sunt. Tunc judex Episcopum affecit supplicio, nomine Tsouroi, (vide descriptionem suppliciorum p. 270) ut prodat duos patres.

Simul interrogavit : “Cur tu hūc in Coream venisti?” (Jam sciebat patres ex quā natione essent.)

Respondit Episcopus : “Ad salvandas hominum animas.” Judex : “Quot homines docuisti?”

Episcopus : “Aliquot centum.”

Judex : “Omnes, quos docuisti, prode.”

Episcopus : “Prodendo eos, illis noceo ; ideo non possum.” Judex tunc Episcopum jussit, ut Deum relinquat.

Quo audito Episcopus exclamavit : “Non relinquo Deum.”

His finitis misit in carcerem.

Tunc episcopus examinatis circumstantiis, misit epistolam ad duos patres, ut cito in tribunal advenirent. Dicto obedientes patres, capti venerunt in tribunal, et ducti sunt ad episcopum.

Tunc judex tres nempè episcopum et duos patres, cum maximā superbiā interrogavit : “Quem pro domino habetis? (Habere Dominum aliquem Coreane significat habitationem firmam apud aliquem.) Pecuniae, divitiae unde venerunt? Quis vos misit, et quis invitavit?”

Cui Patres : “Paulus Tseng est dominus, pecuniam ex nostrā regione attulimus, missi sumus a Papa, et Coreani nos invitarunt.”

Judex : “Redite in vestram patriam.”

Ita hujusmodi quaestionibus atque verberibus Patres molestavit per tres dies. Deinde ut Christianos prodant, ter Tsitokonero percussit. (Vide p. 270)

Retulerunt Patres : “Hominibus nocere non licet.” Judex : “Revertimini in vestrum regnum.”

Cui Patres : “Nolumus ; nos venimus in vestrum regnum, ut hominum animas salvaremus, sed morimur.”

Post haec missi sunt Patres in carcerem, cui nomen Keum-pou (est carcer, in quo includuntur rei solum nobiles, ut ministri regni, magnates, praefecti.), et ibi singuli percussi sunt septuagesies verberibus (Ieng tsang. Vide p. 272).

Deinde die 21 septembris 1839, in festo S. Matthei apostoli Reverendissimus Episcopus cum duobus Patribus magnificè et gloriosè pro Christi fide sanguinem fundens triumphavit anno aetatis suae 43 et salutis 1839.

Occisus est in loco nomine Notol distante ex urbe Seoul unā leucā.

PARVA DESCRIPTIO MARTYRII PATRUM.

Quando Patres in tribunali Keum-pou damnati sunt ad mortem, milites posuerunt in canistro confecto ex paleis et portarunt usque in Notol. Tunc exiit dux cum una legione (centum viginti octo) militum quasi ad bellum armatis, et adveniens in Notol disposuit milites per ordinem velut cum hostibus proelium initurus (erat autem maximus concursus populi).

His dispositis, supposuerunt subter brachia longum lignum, ad aures verò sagittas, faciem linierunt calce, et portantes circumibant, ut omnes viderent et legerent causam mortis et alia. Deinde deponentes, per milites gladiatores occiderunt. Tunc capita duci obtulerunt ad videndum.

Postquam omnia finierunt, sepelierunt prope flumen inter arenas, dein jussis sepulchrum custodiri, abierunt.

Christiani corpora subtrahere desiderantes, omnibus modis tentarunt ad auferendum et non poterant. Quādam verò vice tres Christiani more mercatorum iverunt, et eorum unus, cognomine O accedens prope sepulchrum pede parumpèr tetigit, quod videntes satellites advenerunt, et quis esset, inquirebant, et cur sepulchrum tangeret.

Respondit Christianus (alii duo fugerunt) : “Ego sum iter faciens, a multis audivi hic sepultos esse Europaeos, et habui curiositatem videndi eorum facies, quales sint.” Tunc vinctum duxerunt ad tribunal, ubi multa passus, et feliciter fuit dimissus. Non tamen cognoverunt eum esse christianum, nec interrogarunt. Si scivissent, certe eum occidissent.

Altera vice octo Christiani parati ad mortem per noctem iverunt, et inito consilio, quod si advenirent satellites, eos vi ligarent, foderunt sepulchrum.

Non poterant distinguere corpora ab invicem, solum enim remanebant ossa, insuper nihil videbant ; sed et canes, perforato sepulchro, maximam partem abstulerant.

Collegerunt, quantum potuerunt, et iterum sepeliere in Lokousan. Post 7 circiter menses mutarunt sepulchrum. Interjectis demum tribus ferè annis, cum majori praeparatione tumulum fecerunt ad montem Kouanaksan, et simul particulas, quas de ossibus abstulerant secum Christiani, recondiderunt.

Describuntur supplicia principalia quibus passi sunt Patres et alii Christiani.

(In relatione non refero tormenta et injurias communes, ut sunt maledicere ; pugno, pede percutere ; dentes ferro frangere ; alapas dare ; verberare ; tundere ; lapidibus percutere etc... etc... Nequeo omnia referre, quia relationes, quas martyres ipsi ex carceribus miserant, Christiani propter metum persecutorum omnes combusserunt. Unde pauca tantum hic expono, ut Christiani potuerunt conservare.)

1. Tsouroi tsil : sunt multae species :
 - 1) Kasai Tsouroi : duo genua simul fortiter colligant, similiter prope pedes ; dein ponuntur duo ligna inter crura colligata, et fortiter ex utraque parte premuntur (ut in ista figura) tunc crura fiunt sicut arcus.
 - 2) Tsoul Tsouroi : ligant prope pedes, et mittunt inter crura maximum lignum et grandi funiculo ligantes femur ; multi satellites ex utrāque parte vi maximā trahunt.

3) Pal Tsouroi : genuflectunt cruciandos, et duo brachia inter se ita colligant ut humeri fere inter se jungantur ; tunc mittentes ligna subter brachia tota vi elevant. Quando tortores non sunt periti, prima vice brachium aut crus franguntur ; quando sunt periti, solum curvantur in modum arcu.

2. Tsi To Kon

Tsitokon est instrumentum supplicii confectum ex ligno querci, habens 5 pedes longitudinis, dimidium pedem latitudinis, grossum trium circiter digitorum, quo verberant retro ad femur, et frangunt etiam ossa.

3. Tsou Tsang Tsil

Tsou tsang tsil est species supplicii, quo ligant fortiter cruciandum ad brachium et ad capillos, genuflectunt super fragmenta vasorum etc., et ex utraque parte satellites contundunt femur.

4. Hap Tsoum

Haptsoum est supplicium, quo cruciandum ad brachia ligant et alte suspendunt et verberant ex utraque parte.

5. Sam Mo Tsang

Sam mo tsang est gladius ligneus seu securis lignea, quo carnes auferunt ad crura, membra.

6. Top Tsil

Top tsil est, nempe funiculo ex crinibus confecto ad femur colligantes ex utraque parte trahentes ac dimittentes serrando carnem per partes secant.

7. Ieng Tsang

Ieng tsang sunt ligna, quibus verberantur crura.

Nota quod in Seoul praecipue duplex existit tribunal.

Primum vocatur Potseng, alterum Ieng tso.

Potseng est in quod rei primùm perducuntur, ad causas cognoscendas et quaestiones faciendas, et postquam omnia nota sunt, causae unā cum reis ad tribunal Ieng tso mittuntur. (Hoc tribunal est iudiciale et superius Potseng.) Ibi fiunt determinationes sive ad mortem sive ad remissionem.

Est praeterea tribunal vocatum Sa Kouan Tseng ; est minus tribunal quam Potseng.

PATER MAUBANT PETRUS LA

Provicarius Generalis Coreae.

Reverendissimus Pater Maubant ingressus est in Missionem Coreanam 1834 die 7 lunae duodecimae. Laboravit in suā missione per 4 annos. In hoc annorum spatium, quanta passus sit, hic non refero.

Incredibili ferebatur zelo animas salvandi, crebrò jejuniis corpus suum affligebat ; multoties sitim famemque passus est adeo ut multoties ceciderit. Frequentissime per noctem ambulabat per montana loca ad Christianos visitandos, etiam inter nives et glacies ; aliquoties in tali circumstantiā ambulabat nudis pedibus, deficiente nempe calceamento. In visitatione Christianorum nunquam equitavit, sed pedibus iter confecit. Sic patiens laetabatur et dicebat : “Sic bonum est.”

Populum verbis exemplisque instruebat ; sacramentis omni curā nutrebat ; rudes edocebat frequentius, dubia explicabat, elargiebatur studiosè pauperibus pecuniam, vestes etc...

Dein crescente persecutione, voluit latere, sed prius ivit ad Patrem Chastant. Dum duo simul commorarentur, Reverendissimus Episcopus misit nuntium, ut statim ad se venirent. Tunc iverunt ad Episcopum, et commorati sunt duos dies. Deinde duo Patres

adierunt in quamdam christianitatem nomine Iontangni, hic mori mallentes, quam fugere, manserunt aliquot dies excipientes confessiones.

Transactis pluribus diebus dimiserunt alumnum Petrum Tsoi, ut iret in Seoul ad nuntia recipienda, ipsi autem ascenderunt navim ad fugiendum. Interea Episcopus captus et ductus est in Seoul, et mox duo alumni Thomas I et Petrus Tsoi (primores Christiani omnes jam erant capti.)

Eādē tempestate, Episcopus ad duos patres scripsit epistolam dicens : “Bonus Pastor ponit animam suam pro ovibus suis. Venite cito, sed ne permittetis quemquam fidelem vos sequi.” Talem litteram misit bis atque ter.

Tunc patres obviam satellitibus procedentes capti sunt, et ducti in Seoul eadem die unā cum Episcopo martyrii corona decorati sunt. (Pater Maubant anno aetatis suae 35.)

PATER CHASTANT JACOBUS TSENG

Reverendus Pater Chastant naturā mitis singulari erga proximos caritate excelluit, nec minū patientiā. Ut scivit sufficienter linguam ad confessiones audiendas, per diversas provincias peragravit praedicans, et interim sitim, famem, frigus, multas aerumnas passus est ; insuper humilitate, abstinentia, aliisque virtutibus mirabili modo enituit.

Christinos recipere solebat cum caritate sicut optima mater, et docere bonus pater. Praesertim felicitatem reponebat in miseriis perferendis. Videndo pauperes et miseros ipse condolebat, et largiebatur quae habere poterat, et saepe suas vestes tradebat eis.

In ipsā persecutione huc et illuc fugiens fideles tum consolatione, tum ope paterno amore fovebat, ac succurrebat ovibus incarceratis eleemosynā. De die in diem ferventius vacabat divinis operibus, ac Christianos majori curā sacramentis reficiendo confortabat.

Demum accepto ab episcopo mandato veniendi ad tribunal, ita laetabatur, ut ad convivium ire videretur. Tunc per litteras omnes fideles consolans, (quod item fecit Pater Maubant) captus est. Christiani verò multi statuerunt unā cum Patribus ad mortem ire, sed prohibiti sunt.

Eadem tempestate ferè nullus erat fidelis, qui optaret vivere, quamobrem multi ad tribunal pergentes interfecti sunt.

Pater Chastant occisus est eodem modo ac eodem tempore cum episcopo, anno aetatis suae 35. Duo patres antequam caperentur duas epistolas separatim ad omnes fideles scripserunt et unam duo simul.

O Reverendissimi Patres!

Quam multa pro Christo et animarum salute passi estis ; tum in terrā, mari, domibus, et in viis ; tum ex parte paganorum atque christianorum, a persecutoribus, a falsis fratribus ; item sitim, famem, nuditatem, paupertatem, variasque miserias sustinistis, tandem etiam crudelia tormenta, mortemque ipsam.

Sed nunc, O quam beati estis, triumphatis inter coelestes exercitus, coronati diademate splendido, regnatis cum Angelis et omnibus Sanctis in omnes saeculorum aetates. Respicite oculis misericordiae in nos miseros, qui in valle lacrymarum inclusi, ab hostibus undique impugnamur.

Quanto amore vos missionem vestram dilexistis, cupiebatis omnem animam salvam facere. Nunc potestis, estis potentes apud Deum Patrem nostrum.

Orate et intercedite pro nobis ad Jesum Christum D. N., ac B. M.

V. precibus ac meritis vestris. Obtinete nobis ad salutem necessaria.

Rogate Deum, ut vindicet sanguinem martyrum suorum, qui effusus est ab initio usque nunc.

Miseremini nostri, miseremini nostri. Ecce quaerentes animam nostram steterunt ad portam, et vulnerati cecidimus ; circumdantes circumdederunt nos canes multi, latrant, ut

devorent. Videte et nolite abjicere. Subitò venerunt lupi, et circumdantes oves vestras percusserunt plaga magnā, et dispersus est grex Domini. Persecuti sunt eum canes feroces, et conjecerunt oves in lacum profundum, ibi derelictae ad vos clamant, ut mittatis pastores qui eas de lacu extrahant et congregent in ovile et curent plagas.

Gemitum meum et dolorem animae meae considerate, et nolite oblivisci. Preces meae non sunt dignae, recurro ad vestra merita. Fiat! Fiat!

ACTA MARTYRUM PRAECIPUORUM IN SEOUL 1839 juxta ordinem temporis quo occisi sunt.

AUGUSTINUS I catechista, nomine coreano TSIMOUGNI,
Uxor ejus BARBARA KOUEN et filia ejus AGATHA.

AUGUSTINUS TSIMOUGNI de familiā illustri natus, in primis fuit gentilis, et deditus ludibus malam vitam ducebat. Demùm triginta annos natus, religionem cum uxore et fratribus amplexatus, praeteritam vitam deflere, maximo cum fervore religionem observare coepit. Postea sic vitam suam mutavit, ut mirarentur eum alii. Persecutionem multoties passus est, et jacturam divitiarum aequo animo sustinuit. Dein de die in diem ferventius Deum colens, tepidos Christianos excitabat, paganos ad verum Deum convertibat, et multos convertit.

Anno 1839 circa lunam 2dam cum totā familiā (erant decem amplius homines) captus, perductusque est ad tribunal quaestionum. Praefectus eum graviter crucians, Deum deserere, alios christianos prodere jussit ; postea ejus constantiā victus remisit ad tribunal judiciale Iengtso.

Judex primo parvulos infantes Augustini amicè hortatus est, sed cùm fortiter resisterent, jussit eos cruciari ; nec tormenta potuerunt eorum constantiam superare. Tunc victus judex vocavit eos esse monstra, et non audens eos ad decollationem damnare, (lex enim non permittit ut infantes gladio jugulentur) remisit ad tribunal quaestionum.

Tunc judex ad Augustinum : “Si tu Deum derelinquis, non solum te dimittam, sed et uxorem tuam, fratres, liberos et etiam omnia bona reddam.”

Cui Augustinus : “Impossibile est Deum derelinquere.”

Tunc judex irā succensus, jussit illum cruciari, dicens : “Tu non times mori, sed quar?non salvas tuam uxorem et filios?”

Et conversus ad satellites : “Percutite illum usque ad mortem.” Totum corpus fuit dilaniatum et sanguine coopertum ; circumstantes prae horrore non audebant aspicere. Ita tribus vicibus cruciatus, cum invictus permaneret, ad mortem damnatus die 12 lunae 4 martyrii coronam adeptus est, anno aetatis suae 53.

UXOR AUGUSTINI, KOUEN BARBARA ex gentilitate ad Deum conversa, ferventi animo Deum coluit : multis persecutionibus exagitata, omnia bona perdidit, sed maxima patientiā omnia tulit.

In domo sua disposuit oratorium, et excipiens Episcopum aliosque patres, omni zelo eis ministrabat; ac crebro alios exhortabatur ad dignam sacramentorum receptionem.

1839 die 25 lunae 2ae circa mediam noctem irruentes satellites captam duxerunt ad tribunal quaestionum. Ibi ob naturalem erga liberos affectum multa passa est. Postquam omnia supplicia invicta superasset, fuit missa ad tribunal judiciale. Ter ibi cruciata, Martyrii coronam gloriosè adepta est die 26 lunae 7ae 1839, anno aetatis 46.

FILIA AUGUSTINI, AGATHA remissa est ad tribunal quaestionum, crudeliter cruciata permansit constans. Hoc debile corpusculum, quod tum peste erat confectum, recepit

300 et amplius ictus tormentorum et 90 tsitokon. Demum die 5a lunae 11ae 1839 strangulata ad Deum suum volavit, anno aetatis 17.

DAMIANUS NAM, catechista, nomine MOUNHOA.

Uxor ejus MARIA I, Martyr.

DAMIANUS, vir nobilis, 30 annos natus, intellecta christianae religionis veritate, se ad Deum convertit, et a Patre Pacifico U baptizatus, cum maximo fervore religionem observans, studiosè doctrinam ediscebat ; et omnes amicos paganos longe fugiebat, multum ergà proximos caritate ferebatur. Praecipuè operam dabat ad familiam benè educandam, tepidos excitandos, paganos convertendos, infantes eorum baptizandos.

1839 die 25 lunae 2ae in media nocte captus cum totā familiā ad tribunal est perductus. Fortè satellites Damiani uxorem nimis despectivè tractabant, ipsa vehementè illos reprehendebat. Quod audiens Damianus, cum caritate exhortatus est, ut pro Deo omnia patienter ferat, et quasi ovis ad mortem eat, ut decet Christianum.

Damianus, ut Deum desereret, alios Christianos proderet, ornamenta (erant episcopi) ad quem pertinerent, indicaret, monitus, jussa praefecti contemnens, ad supplicium perductus est.

Deinde adhuc invictus ad tribunal judiciale missus est. Ibi ter gravissime cruciatus, ac Deum derelinquere, alios prodere jussum, negative respondit. Itaque damnatus ad mortem, misit litteram ad suam uxorem, quod ipse exspectaturus erat illam in coelo. Martyrizatus est anno aetatis suae 38.

UXOR DAMIANI, MARIA maximā pietate in Deum et homines enituit. Kei hai (nomen anni 1839) persecutione captā, multas injurias et tormenta invicto animo pertulit.

Praesertim crebro de filio suo, qui duodecim annos natus tunc in alio carcere immanè cruciabatur, ac aegrotabat, et postea occisus est, multa audiens magis invictè passa est. Postquam suā constantiā omnia tormenta superavit, ad judicem missa est, a quo gravissimè ter cruciata, collum subjecit gladio anno aetatis suae 36, 1839, die 26 lunae 7ae ; mansit in carcere 6 menses.

PETRUS KOUEN SENTO

PETRUS SENTO, a parentibus christianis natus, fide clarus, multum erga proximos caritate enituit. Circa anni 1838 11am lunam cum universa familiā ad tribunal ductus est. Tum tormentis acerbè cruciari jubetur : et quòd Christianam religionem observaret, derisus respondit : “Deus est omnium rerum Creator ac Dominus ; homines in terra innumeris ejus beneficiis cumulantur, igitur rationabile est illi quodam modo regratiare. Quamobrem homo ratione praeditus denominatus, debet Deum colere.”

Iratus praeses, illum verberibus sine numero torqueri jussit, ut Christi nomen ferentes prodat. Respondit Sento : “In religione severè vetitum est hominibus nocere, ideo non audeo ore hominem necare.”

Tunc missus ad tribunal judiciale, in carcerem Tsenok (carcer pro reis ad mortem damnandis) injectus est. In carcere à satellitibus adeò verberatus est, ut bis fuerit semimortuus. Juxta gravitatem tormentorum crescebat ejus fides, fortitudo ac fervor.

Demum Sammotsangero gravissimè percussus, dilaniato corpore, ac sanguine suo sparsus ad mortem damnatus est. Cum duceretur ad locum mortis, erat gaudio gaudens, ita ut postquam amputatus est, facies erat adhuc ridens. Martyrizatus est anno aetatis suae 35.

I AGATHA, Vidua.

AGATHA a parentibus honestis nata, orbā patre, in matrimonium juncta est quodam viro. Mortuo marito religionem amplexata, suo fervore ac exemplo alios commovebat. Opere manuum suarum familiam sustentans patientiam aerumnis opponebat.

Anno salutis 1835 capta est cum suo fratre Hognengi (hic fuit martyr egregius). Deum derelinquere, confratres seu Christianos prodere monita, jussa contemnens, ad supplicium ducitur. Totum corpus dilacerarunt tortores, innumeris injuriis afficientes, demùm totalitèr nudatam in altum suspenderunt, et totis viribus ex omni parte virgis cruciarunt. At illa invincibilis, constantissimè sufferens religionis christianae veritatem attestabatur, ita etiam ipsi tortores vehementèr admirabantur.

Sic dolorosè cum conflictu mansit in carcere per 4 annos, et 1839 lunā 4a sub gladio Martyrii coronam adeptā ad Deum suum migravit anno aetatis suae 56.

MAGDALENA KIM, Vidua.

KIM MAGDALENA, christianae religionis rudimentis imbuta, adhuc parvula virginitatem vovendi propositum habuit. Sed, prohibente matre, nupsit Christiano.

Mox, mortuo marito, celibatam vitam ducens, cum matre sua naturā difficili concorditèr vixit. Multos paganos ad Deum verum convertit, et morti proximos baptizavit.

Semper sanguinem pro Deo fundendi desiderium habebat. Demùm religionis causā ad tribunal Potseng perducta, coram magistratu Dei praecepta explicavit. Multoties gravissimè cruciata cum pari constantiā pertulit. Itaque ad tribunal Iengtso dimissa ad mortem damnatur.

Keihai (nomen anni 1839, in quo magna persecutio fuit, Episcopus et patres et alii occisi sunt) circa lunam 4 gladio interfecta est anno aetatis suae 66. Mansit in carcere per tres annos.

BARBARA HAN, Vidua.

BARBARA HAN ab infantiā religionis rudimentis imbuta, non tamen observabat ; et in matrimonio sibi junxit gentilem ; sed, mortuo marito, ad maternam domum rediit.

Quādam vice a Magdalena Kim exhortata, se omninò ad Deum convertit. Tum cum fervore religionem observans, crebro jejunio corpus suum affligebat. Tepidos reducere, paganos ad verum Deum convertere coepit, et multos gentilium infantes periculosè aegrotantes baptizavit. Multum optabat sanguinem suum pro Deo fundere; itaque unā cum Magdalēnā Kim capta, coram praefecto religionis christianae veritatem liberrimè exposuit.

Per tres annos incarcerata multa tormenta pro Deo fortitèr sustinuit : tandem damnata occubuit sub gladio Keihai circa lunam 4am anno aetatis suae 48.

PAK ANNA

PAK ANNA ab ineunte aetate, religionem studiosè observabat.

Octodecim annos nata Christianae familiae juncta est in matrimonio; filios educavit religionis rudimentis et disciplinis religiosis. Crebrò mentem vertebat ad 5 vulnera Domini cum abundantia lacrymarum.

Kei-hai, circa lunam 2am unā cum familiā ad tribunal Potseng perducta, inter acerbissimos cruciatus Deum liberè professa est. Victus praeses mille modis illam a Deo avertere conabatur minis, adulationibus ac suppliciis. Sed his omnibus invicta per integram diem inter acerbissima tormenta permansit.

Totum corpus fuit dilaniatum, carnes evulsae ostenderunt ossa. At illa laetitiam prae se ferens, parentes, qui crebrò adventabant, sperantes probabiliter quod apostaret, cum majori conatu ad perfectam religionis observantiam adhortabatur. Nihil ad domum, parentes, maritum, filios ac opes attendens, tota vi ferebatur ad moriendum pro Deo. Ejus tandem constantiā devictus magistratus remisit ad tribunal Ieng-tso.

Judex, visā ea, dixit : “Maritus tuus et filii tui jam dimissi sunt, et tu, si prolato uno verbo, vivis, nonne est felicitas mundi?” Cui respondit Anna : “Hoc spectat ad liberam hominis determinationem. Solum pro Deo mori desidero.” Iratus judex jussit torqueri, et damnavit ad mortem.

Kei-hai, lunā 4a collum gladio subjecit anno aetatis suae 57.

KIM AGATHA, Vidua

KIM AGATHA naturā erat valde ruda, sed fide fortis. Ante conversionem cum marito suo colebat diabolum seu malignos genios.

Quādam die, audiens à fratre suo, quod omnia erant falsa, statim destruxit, et non attendens ad paganorum dicitia, religionem amplexata est. Sed propter tardum ingenium, nec profundiora mysteria, nec preces ediscere poterat, solum sciebat “Jesus, Maria.”

Dein religionis causā fuit comprehensa. Quā visā, praeses ait: “Tu es Christiana?”

Respondit : “Ego scio solum : Jesus, Maria.”

“Etiam si”, inquit praeses, “inter cruciatus moriaris, non vis Jesus, Maria deserere?” “Ita”, retulit : “etiam si oportet me mori, non possum derelinquere.”

Quare ad atrociora tormenta duci jussa est, et semper eadem verba repetebat, se non posse deserere “Jesus Maria.” Victus praeses remisit ad tribunal Iengtso, in quo interrogata eodem modo respondit.

Judex illam misit in carcerem. Videntes Christiani, qui in carcere erant, Annam gavisi sunt, et benè dispositam baptizarunt.

Demum judex illam denuo cruciari jussit, sed impotens ad mortem damnavit. Cum octo aliis Christianis simul, gladio martyrii coronam adepti, ad Jesum Mariam advolavit, anno aetatis suae 50. Mansit in carcere quatuor annos.

PAK LUCIA Virgo et soror ejus major natu MARIA.

PAK LUCIA erat Kounggne (sunt virgines a gubernio electae ad custodiendum varias res regis). In moribus gravis, industriā, rectitudine naturali enitebat.

Mortua matre, a gubernio in Kounggne electa, ac in palatium introducta, sese praebebat aliis praeclarum exemplum vitae honestae. 30 fere annos nata audivit doctrinam religionis Christianae, et statuit eam amplecti.

At videns se in palatio non posse religionem observare, finxit se aegrotare, et sic obtentā facultate exiens ex palatio ivit ad cognatum quemdem : non enim audebat ire ad patrem suum, qui erat religionis hostis infensissimus.

Mox illam familiam exemplo et persuasionibus ad verum Deum convertit. Saepe divina beneficia cum gratitudine celebrans, corde recordabatur. Honores et gloriam mundi pro nihilo reputans, studiosè religionem observabat. Crebrò vacabat orationi et meditationi ; utebatur vestibis ac cibis grossis, et seipsam affligere studebat. Saepe in memoriam revocando passionem Domini cum gratitudine lacrymas fundebat.

Demum crescente saevitiā persecutorum, cum universā familiā fugit in domum cujusdam Christiani. Quod cognoscentes satellites in domum irruerunt. Tunc Lucia divinam dispositionem esse rata, ex unā parte Christianos consolabatur confortans, ex alterā parte satellites perhumanè tractabat.

Postea sequens Pokio, in tribunal Sakouantseng (est primum tribunal ad reos interrogandos) venit. Ibi facta confessione, ad Potseng perducta est.

Judex interrogavit : “Tu, quae cum sis kounggne, cur christianam religionem profiteris?”

Respondit Lucia : “Est obligatio pro omnibus hominibus Deum colere.”

Iterum, Deum derelinquere, alios christianos prodere jussa, negative retulit. Quamobrem, ad cruciatus ducitur ; sed fortiter resistens ad tribunal Iengtso missa atrocitèr

torquetur ; tunc laceratā carne visa sunt ossa. At illa aequali constantiā sufferens, laetabatur, eo quod aliquo modo Christi dolores imitaretur, et post aliquot dies, sanatis omninò vulneribus, convaluit. Quo comperto, satellites, magicā arte id actum est dictabant.

In medio supplicii, multa de veritate religionis disserens, inimicos confundebat. Judex tandem impotens damnavit ad mortem. Lucia, cum ad mortem duceretur, laetabunda non cessabat ad Deum preces offerre, et amputato collo, ad Dominum suum advolavit, anno aetatis 39.

Soror Luciae MARIA, postquam religionem christianam amplexata est, fidelis Dei mandatorum observatrix, multo nisu bonis operibus sese exercebat, ac pauperes sublevabat eleemosynā.

Capta multa tormenta perpessa est, sed quomodo responderit, quam speciem supplicii passa sit, non fuit relatum. Cum pari fortitudine mansit in carcere 5 menses, et Keihai 26 lunae 7ae, gladio palmam martyrii consecuta est, anno aetatis suae 54.

JOANNES I KIENG SAMI.

JOANNES a gentilitate ad verum Deum conversus, ferventer Deum colebat. Postquam ex Pekino rediit baptizatus, majori pietate religionem observabat, et ex tunc carnem nunquam gustavit, vixit in suā virginitate.

Semper pro Deo moriendi desiderio ferebatur. Itaque Keihai circa lunam 2am comprehensus, acerbissimos cruciatus forti animo sustinuit. Invictus tandem ad gladium ductus est cum 7 aliis Christianis. Mansit in carcere 6 menses. Occisus est Keihai (id est 1839) die 10 lunae 6ae et quinta post Assumptionem B. M. V. anno aetatis suae 45.

I MAGDALENA. E MAGDALENA.

THERESIA. BARBARA inter se cognatae.

I MAGDALENA, familiā honesta ortum ducens, propter metum patris persecutoris religionis christianae, occultè cum matre E Magdalena et sorore sua, cum imitabili pietate Deum colebat, et virginalem vitam ducebat.

At pater ejus contra ejus propositum virginitatem servandi, desponsavit pagano. Tunc illa omnibus modis fugiendi viam meditabatur. Quadam vice, nocte favorabili occasione, insciis parentibus, sese induit vestibis prae vetustate laceratis, et vestes proprias suo sanguine distinctas dilaceravit, atque aufugit in Seoul ad sororem suam. Tunc parentes illam luxēre, credentes fuisse a tigride devorata. Die quadam pater illius venit in Seoul ad filiam suam natu majorem, apud quam latebat Magdalena, et narravit, quod filia sua minor a tigride fuisset devorata.

Quo audito, illa domum replevit lamentationibus, velut crederet, ut referebat pater suus. Sic ignota Magdalena a suis parentibus, vitam caelestem ducebat, et maximam paupertatem virginitati adjunxit. Demum Keihai persecutione in Christianos saeviente ipsa unā cum matre sua E Magdalenā, amita Theresiā, sorore sua Barbarā, cum quā vixit, (Haec Barbara cum a patre suo gentili cogere pagano nubere, virginitatem custodire desiderans, finxit per tres annos, quasi claudicaret, et non vidente patre, cautè paululum ambulabat, ac postea cogente necessitate, nupsit christiano.) et aliis duabus Christianis Kim Martha et Kim Luciā, statuit forti animo mortem subire pro Deo.

Itaque sex mulieres exierunt quaeritantes satellites, audientes eos in cujusdam Christiani domo esse congregatos, adierunt, et universam domum lacrymantes ejulatu repleverē. Quod videntes satellites interrogarunt, quaenam essent. Quibus ipsae responderunt : “Nos Christianae sumus.”

Satellites mirabundi non credebant, petieruntque insignia religionis. Tunc I Magdalena virgo et aliae ostenderunt rosarium, cruces, numismata. His itaque testantibus, captae ac in tribunal fuerunt perductae. Primùm jubentur Deum deserere ; at jussa contemnentis acerbissime cruciantur per Tsouroi (maximè multa et crudelius passae sunt, eo quod sese offerendo culpabiliores essent juxta illos).

Post 5que dies e carcere eductas praeses allocutus est, quòd, utrum post tot tormenta per experientiam agnoscant malum, et velint Deum relinquere.

Cui unanimiter responderunt : “Si Deum deserere vellemus, cur liberè fuissetis captae? Non loquimur diversè, juxta regni leges nos occide.”

Indignatus praefectus jussit illas denuò cum Tsouroi excorticare. Illae pari fortitudine carnificum tormenta vincentes in Iengtso mittuntur. Ibi Deum liberè confitentes, superatis omnibus cruciatibus ad mortem damnatae sunt.

Itaque Kei-hai die 10 lunae 6 Magdalena virgo cum amitā suā interfecta est anno aetatis suae 31, et Theresia vero aetatis 52. Soror Magdalенаe Kei-hai luna 7a die 26 decollata fuit, anno aetatis 41, mansit in carcere 6 menses. Mater Magd. v. Keihai 8ae lunae die 19 martyrii coronam adepta est anno aetatis 67. Mansit in carcere 7 menses.

Kim Martha (Cogno. Poupiengtsip) lunā 6 die 10 martyrii palmam consecuta est, an. aetat. 50. I Barbara consanguinea Magdalенаe virginis tormentorum acerbitate, fame, morbo fuit consumpta an. aetatis

15. Kim Lucia v. p. 313.

KIM ROSA Vidua KAPKOLTSIP

KIM ROSA, mortuo marito, ad veri Dei cultum se convertit. Tum divino amore incensa, studiose orationibus et bonis operibus vacabat, ac manibus operando vitae necessaria parentibus procurabat.

Dein, orta in Christianos vexatione, in tribunal perducta, Deum libere profitens acerbè torqueri jussa est, sed pari constantiā omnia supplicia superavit. Cùmque ad apostasiam cogeretur, respondit : “Deus, quem nos christiani colimus, est omnium rerum Dominus supremus. Ipse est, qui bonos remunerat et malos punit : qui autem observat mandata Dei, in coelis infinita felicitate fruatur, qui autem rebellis est, punietur in inferno poenā sempiternā ; has propter rationes, Deum derelinquere nequeo, nec alios prodere possum, etenim sic eis nocebo.”

His auditis praeses iratus suppliciorum acerbitate ejus constantiam superare aggreditur; sed desperans misit in Iengtso. Ibi inter tormenta Deum profitens ad Deum migravit sub gladio Keihai lunā 6a anno aetatis suae 56. Mansit in quaestione per 8 menses.

MARIA OUVEN Virgo

MARIA OUVEN adhuc tenerā aetate perdidit parentes, et apud suos cognatos vitam ducens pauperrimè, opere manuum suarum cibos quaerebat. Ferventi amore in Deum incensa, vovit virginitatem

; maxima pietate ac humilitate excelluit, et propter imitabiles mores omnibus erat grata.

Fervescente persecutione, adventantes satellites vinculis constrictam ad judicem duxerunt. Qui visa illā : “Tu es”, inquit, “christiana?” “Utique.” ait illa.

Judex iterum : “Si deseris Deum tuum, statim dimittam te.”

Cui Rosa (sic ; Maria) : “Jam firmo proposito determinavi Deo servire, et sic animam meam salvare : noli itaque amplius interrogare; solum me, quaeso, occidas.”

Iratus judex, eam Tsouroi et Tsoutsangero distorqueri jussit. Dilaniato corpore, sanguis fluebat abundè, at illa invincibilis erat.

Tunc victus iudex misit ad iudicem Iengtso : qui, frustra tentatā omnibus modis ejus fortitudine desperans, jussit jugulari.

Ad Deum suum migravit an. aetatis suae 22 et die 10a lunae 6ae.

KIM LUCIA, MANMULTSIPT TAL, Virgo

KIM LUCIA ab ineunte aetate christianis disciplinis erudita, mitis et humilis erat. Quatuordecim annos nata virginitatem Deo vovit. Tunc majori in Deum amore incensa, ferventius bonis operibus vacabat.

Crescente persecutione, consilio inito cum I Magdalena etc. v. p. 12 sese tradidit satellitibus. Iudex, visa Luciā, (erat pulchra) : “Tu,” ait, “sic elegans mulier superstitioni Christianorum nomen dedisti?” Cui respondit illa : “Ita, ego Christiana sum.”

Iudex : “Si profers unum verbum, ego te salvabo.” Lucia : “Etsi mori me oportet, non possum relinquere Deum meum.”

Iudex. “Dic mihi, quare non potes?” Cui illa : “Deus est hominum rerumque Creator ac provisor est, et bonos malosque remunerans supremus Parens est, quapropter etsi decem mille vicibus mori debeo, non possum eum derelinquere.”

Iudex : “A quo didicisti, et quot annos nata, quot socios habes, et quare non nupsisti, et quid vocas animam, et non metuis mortem?” Respondit Lucia : “Novem annos nata a matre mea didici ; in religione nostrā severè prohibitum est, ideo, etiamsi oportet me mori, non possum alios prodere. Vigessimus annus non est aetas nimium protracta, insuper de matrimonio sermonem habere est contra honestatem puellarum ; anima est ens spirituale, quod oculis corporis videri nequit. Et mori quidem vereor, sed ad vivendum jubeor Deum deserere, ideo licet mori pertimesco, mori tamen malo.”

Iudex : “Anima ubi est?” Cui Lucia : “In omni parte corporis.”

Iudex : “Numquid tu vidisti Deum?” Lucia : “Quomodo plebs longè à palatio vitam degens, posset credere esse regem, postquam illum oculis suis viderit? Videndo res creatas, sufficienter cognoscimus Deum existere naturae Parentem.”

Iudex precibus et minis ejus fortitudinem superare non potens, in furorem immissus est. Illam itaque jussit Tsouroi et Tsoutsangero torqueri. At illa in medio tormentorum laetabunda, suos inimicos admirabili constantiā confundebat. Quare vehementer admirantes dicebant ad invicem : “Forte habet diabolium.”

Victus iudex misit ad Iengtso iudicem, qui illam omnibus modis corrumpere aggressus, cū non posset, verberare coepit, et demū damnavit. Itaque Keihai, id est 1839, die 10 lunae 6ae in Domino occubuit, an. aetatis suae 22.

JOANNES PAK MIENKOUANGI

JOANNES adhuc infans amisit patrem (qui propter fidem Christi interfectus est), crevit cum paupertate et miseriis. Erga matrem suam maximam pietatem semper praebuit, et operando manibus matri vitae necessaria ministrabat.

Adolescentior factus, assiduè religionem ediscebat, et cum ardore Deo serviebat.

Crescente persecutione ad iudicem perductus, cum juberetur Deum deserere, alios prodere, contemnens mandata, torquetur supplicio Tsitokon et Tsouroi. Tunc dilaniatum corpus exangue jacuit; sed ipse non desinebat die ac nocte Deum praedicare et religionis veritatem asserere.

Missus demū ad iudicem Iengtso, post multos cruciatus ad extremum supplicium perductus est, anno aetatis suae 41, die 26a lunae 7ae 1839. Mansit in carcere seu in quaestione per 5 menses.

PAULUS TSENG

TSENG PAULUS de familia illustri ortum ducens, fide christianā illustrior fuit. Pater et frater ejus anno salutis 1801, exorta Christianorum vexatione, capti fortiter pro religione dimicantes occubuerunt.

Paulus Tseng, post mortem patris, 7 annos natus, cum matre sua propter religionem captus fuit, sed postquam omnia bona spoliata sunt, remissus est.

Tunc Paulus adolescens sine domo vagans apud notos aliquot annos trajecit. Demùm cum matre suā aufugit a facie omnium parentum (erant pagani) et mutato cognomine vixit solus. Crevit inter paupertatem et miserias : multas quoque persecutiones propter fidem passus, nunquam apostavit. Non solum a gubernio persecutiones sustinuit, sed etiam ab omnibus notis et parentibus.

Quos iterum fugiens ad domum cujusdam Christiani Tso Petri martyris se contulit ; ubi latens innumera mala peressus est, paupertatem, famem, nuditatem. Aliquando etiam, persequentibus parentibus, coactus est matrem et sororem suam derelinquere. Inter tot calamitates non cessavit die ac nocte orationibus et bonis operibus vacare. Servavit virginitatem usque ad mortem.

Saepe Deum precibus exorabat, ut dignaretur mittere pastores ad convertendas gentes. Quare ipse vir nobilis, servorum munere fungens, ministros legati sectatus Pekinum petiit octo vel novem vicibus, precibus ab Episcopo Pekinensi impetravit, ut mitteretur Pater Pacificus.

Dein domum reversus, saeviente persecutione in Christianos, cum matre et sorore sua confugit in Seoul. Ibi maximā pietate erga Deum succensus, ab omnibus erat acceptus. In quadragesimali tempore extra morem fidelium Coreanorum per omnes dies jejunabat; praeterea saepe in hebdomadā jejeunio corpus suum affligebat. Licet pauper ipse egenis crebro misericordiam exercebat. Charitate erga Deum et homines flagrans aliis bonum exemplum praebebat.

Dein ipse in Pien Moun adveniens introduxit omnes Patres, et in sua domo receptos juxta suas vires ex corde ministravit. Hunc episcopus Imbert elegit in alumnum, destinans ad presbyteratum. Sed vexatione in Christianos de die in diem crescente, Episcopum sequens fugit. Mox ab eodem Praesule, res in Seoul relictas custodire jussus, domum rediit.

Ibi unā cum matre et sorore sua parato animo divinam dispositionem expectabat. Itaque Keihai die 6a lunae 6ae, supervenientes Paulum vinculis constrictum cum matre et sorore ejus duxerunt ad tribunal. Factā quaestione, in carcerem conjecerunt.

Tertia die, judex Paulum e carcere eductum interrogavit. “Tu, spretis Coreae moribus, alienarum nationum doctrinas sequens, homines depravas.” Cui respondit Paulus : “Rebus alienae nationis, si sint probae, utimur, et numquid solum religionem christianam optimam, eo quod ab alio regno ad nos venerit, rejicere debemus? Non ita, omnis homo debet illam amplecti.”

“Superstitionem alienae nationis”, ait judex, “esse bonam vocas, et contemnis jussa principum!” Tunc Paulus se unicè pro religione mori optare referens, judici obtulit scripturam de religione christianā tractantem, quam antequam caperetur, composuerat, et multa de religionis veritate disseruerat.

Judex, perlectā litterā : “Recte,” inquit, “dicis, sed quare rem a gubernio prohibitam homines doces?” Jussit Paulum catenis constringi, et ex omni parte cum Tsouroi comprimi. Tunc brachia disjuncta sunt et confracta, ossa visa sunt.

Post aliquot dies e carcere eductum denuo contorquere aggressi, adhibuerunt omnes fere species tormentorum Tsouroi scilicet et Tsoutsang etc... Forti demum funiculo hinc et inde trahentes membra dissecarunt. Sed nondum satiati, ligneā securi, quam Sammotsang vocant, crura ejus per partes secantes, etiam usque ad medullam auferre conati sunt. Tunc toto corpore confracto, sanguis abunde in terram decurrebat.

At Paulus laetā facie, omnia pari constantiā sufferebat. Interjectis dein aliquot diebus, iterum extrahentes immane cruciarunt, ut Patres Maubant nempe et Chastant et alios Christianos proderet. Paulus velut agnus omnia sustinens unā cum Augustino Iou die 22a Septembris an. S. 1839 martyrii coronā decoratus est, an. aetatis suae 45.

AUGUSTINUS praefectus IOU IONGSENGNI

AUGUSTINUS IOU de familiā honestā e parentibus dignitariis natus, ab ineunte aetate ad litterarum studia summa cum ingenii et industriae laude se contulit. Itaque brevi doctorum honores obtinuit. Tunc praefecturae dignitatem nactus, divitias et nomina honorifica non magnificiebat, et non cessavit litterarum studiis vacare.

Demum mundi universi structuram ac naturae universae existentiam considerando, rerum omnium Auctorem existere sibi persuasit. Itaque in inquirendo Creatorem decem amplius annos laborans, pervolvit omnes libros, quos invenire poterat.

Die quādam audiens multos homines pro religione, quae Domini coeli appellatur, sanguinem fudisse, habuit desiderium videndi illius religionis homines, et audiendi, si forte vera sit religio, et coepit eos quaerere.

Quādam vice fortuitò in viā reperit parvam cartam, in quā agebatur mentio de anima hominis, quam per partes scindendo invenit tractatum de Deo Christianorum. Tunc incensus cupiditate illum sciendi, ubique Christianos quaerere coepit.

Tandem inveniens, cum aliquantisper audisset, statim amplexatus est. Post unum annum interpretis munere fungens, in legatorum comitatu Pekinum petiit. Ubi sacro baptismatis fonte ablutus est.

Dein multoties Pekinum missus a gubernio, interius religionis negotia omni sollicitudine curabat. At uxor ejus, videns bona paulatim decrescere, et maritum nullam operam dare ad honores et dignitates consequendos, in rabiem conversa, maritum domesticā persecutione per plures annos agitavit, et injuriis, blasphemis christianam religionem et christianos appetebat. Augustinus omnia pro Deo libenter sustinebat, ac crebrò meditationibus orationibusque vacans, ignaros edocebat.

Keihai persecutione saeviente in Christianos, omnia divinae providentiae committens, eventum parato animo expectabat. Circa lunam 6am missi sunt satellites, ut Augustinum comprehenderent. Id ubi ad aures parentum Augustini (erant omnes pagani) perventum est, simul ad Augustinum concurrerunt, et eum tenentes cum lacrymis et gemitibus rogare coeperunt, ut prolato uno verbo apostasionis, se et illos salvaret.

At ille omnibus rejectis, forti animo ad judicem perrexit : qui Augustinum cum civilitate receptum, omni arte, precibus et exhortationibus à Deo avertere aggressus est.

Sed Augustinus omnia contemnens ad supplicium ducitur. “A quo,” inquit iudex, “superstitionem a gubernio vetitam addicisti, quot homines docuisti, item quot libros possides?” Cui Augustinus

: “A Paulo I martyre ex provincia Tselato oriundo factus sum christianus, quoad praedicationem, nequidem meam uxorem convertere potui : caeterum non habeo libros.”

“Tunc,” ait iudex, “dicas te non habere libros, nam nemo est, qui tot libros habeat, quot tu habes.” Quo dicto, jussit acerbe cruciari.

Dein ab Augustino quaesivit cur sacerdotes Europei in Coream venerint. Respondit : “Patres eo fine in Coream venerunt, ut gloriam Dei promoverent, et alios docerent Dei mandata servare, et Deum colendo animam suam salvare, et ita post mortem inferni aeternam poenam effugientes, in paradiso infinita felicitate frui valeant. Itaque tam sanctam doctrinam praedicantes, quomodo argui possunt tanquam perversi?”

Si ipsi sint reprobi, quā audaciā aliis sanctitatem praedicarent?

Ideò primò seipsos multā virtute et puritate coluerunt, et postea ad alia regna sese conferentes, aliis sanctitatem praedicant. Si ipsi haec praestent propter honores altos, divitias

et foedas voluptates, cur Europam prae aliis celebriorem regionem, patriam ditiolem et amabiliorem relinquentes, trajectis nonaginta fere mille leucis, huc usque in nationem alienigenam, mortem non pertimescentes venerunt?

Insuper usque ad dignitatem Episcopalem proveci sunt, quem itaque honorem desiderare possunt? Et utuntur bonis ex suā patriā secum allatis, quomodo igitur argui possunt venisse propter divitias? Ipsi Deo sacrati, perpetuam virginitatem cum juramento voverunt, et corporis integritatem servantes, usque ad sacros ordines promoti sunt, quomodo igitur arguentur foedarum voluptatum amatores?”

His auditis, iudex ait : “Quis eos huc in Coream introduxit?” “Ego,” respondit, “eos introduxi.”

Postea cum, ut duos patres proderet, crudeliter torqueretur, nihil respondit. Demum ab Reverendissimo Episcopo admonitus, solum respondit esse duos patres (ita enim episcopus illi dixerat), et non dixit ubi essent.

Tunc illum jam vulneribus coopertum cruciantes, cum Tsouroi grosso fune utrumque femur colligarunt, et hinc et illinc trahendo serrantes carnes auferebant. Tunc Augustinus visus est velut in ardenti carbone positus. Deinde cum lignea securi crura immanē ferirent, carnes ab ossibus disjunctae sunt. At Augustinus, nec colorem faciei mutans, omnia supplicia aequo animo superavit.

Invictus in carcerem Keumpou unā cum Patribus missus est.

Postea eductus, bis atque ter denuo cruciatibus affectus.

Post haec ad mortem damnatus unā cum Paulo Tseng occubuit sub gladio, anno aetatis suae 49. Uxor, frater, (sunt pagani) et infans secundus Augustini in exilium missi sunt...

CAROLUS TSO MIENGTSEI

CAROLUS ex provinciā Kangouento oriundus, annos 30 natus ad veri Dei cultum conversus est ab Augustino Iou. Transactis dein aliquot mensibus, sequens Augustinum Pekinum se contulit. Ibi baptizatus ac sacratissimo Confirmationis et Eucharistiae sacramento munitus domum rediit. Tunc maximo in Deum amore accensus, eum colebat ; claruit humilitate et patientiā.

Ipsa pauper egenis opem crebro ferebat. Precibus atque exhortationibus suam uxorem pertinacem convertit ad Deum ; et effecit, ut multi pagani, relicta paternā superstitione, religionem christianam amplexarentur. Multum delectabatur de Deo sermonem habere, et saepè inter meditandum et orandum pias fundebat lacrymas. Multa bona Ecclesiae Coreanae attulit.

Semper ferebatur desiderio martyrii coronam obtinendi, et multa patiendi pro Jesu Christo. Anno 1839 cū ex Sinis in patriam reverteretur, in somnio vidit Jesum inter duos apostolos Petrum et Paulum agentem, et ad excelsum montem stantem, ac audivit Dominum sibi dicentem : “Ego hoc anno tibi concedo martyrii coronam.” Tunc Carolus in terram procidens, grates retulit. Sic ei accidit bis.

Domum reversus, ut tota familia ad persecutionem pro Deo et martyrium subeundum animaretur, verbis suadere, et exhortationibus adhortari coepit.

Circa lunam 5am 1839, satellites advenientes totam ejus familiam ceperunt ; ipse domo aberat, cūque reverteretur, vidit satellites e domo suā egredientes cum uxore et aliis. Eos Carolus sequens usque ad tribunal perrexit. Ibi cū spectaret suos ad supplicium duci, satellites multitudinem adstantium expellebant, sed Carolus, licet coactus exire, pedem nequaquam retroponebat.

Tunc interrogatus respondit : “Ego herus paterfamilias sum horum captorum.” Responsum satellites ad praefectum detulerunt, qui jussit eum incarcerari. Eductum e carcere

interrogavit iudex, ad quem pertinerent res, quas habebat. (erant merces pro missione ex Pekino allatae) Respondit Carolus, esse merces, quas in Pekino emerat.

Judex eum graviter reprehendit, et, ubi Christum Deum constanter confitentem, monita sua contemnentem vidit, jussit totum corpus contorqueri cum Tsouroi. Sed cum hoc acerbo supplicio cogi non posset Christi miles, ut iniqui iudicis dictis obediret, imo fortissimus in fidei professione permaneret, ad praealtam columnam suspensus, virgis verberibusque sine numero feritur. Tunc dilaceratum corpus triginta quinque Tsouroi ictibus denuò affectum, ubique tunditur cum Tsoutsang. Cùmque nulla fermè pars esset integra, exsanguis ac semimortuum corpus in foedā custodiā conclusum est.

Transactis aliquot diebus, eductum denuò cum Tsouroi torrere et lignea securi ferire coeperunt. Sed in omnibus invictus Carolus unā cum Patribus in tribunal Keumpou missus est, ibi ter virgis caesus ad mortem damnatus est.

Cùmque curru ad extremum supplicium duceretur, militi mandavit, ut suis nuntiaret, quòd ipse vadit in locum requiei, ut ipsum sequantur. Miles annuens, lacrymabundus executus est. Carolus, laetā facie, ridens collum carnifici praebuit, an. aetatis 45 et salutis 1839, die 5a post festum S. Mathei.

PETRUS IOU TAITTSERI, Filius Augustini Praefecti et Martyris

PETRUS, Augustini martyris filius, ab ineunte aetate naturā erat admodum suavis et benevolus. Adolescentulus non matrem perfidam, sed patrem pium sequens, religionem amplexatus, admirabili pietate Deum colebat.

Mater et soror ejus regni Dei infensissimae hostes, eum, ut ad eandem superstitionem rediret, omnibus modis suadere et terrere conabantur. Cumque ille constantissime resisteret, et nunquam se veram fidem posse relinquere, verbis et factis ostenderet, ipsae in iram conversae, illum acerbè persequebantur, et durissimis verbis affligentes molestabant. At pius filius, persecutricem matrem amore ac veneratione prosequatur, et ad dicta suavibus verbis reponens, matris et sororis ignorantias cum pietate deflebat.

Fidelis legum divinarum observator, assidue religionem addiscens sacramentis munitus est. Tunc majore erga Deum amore flagrans, pro Christo Deo sanguinem fundendi desiderio ferebatur.

Cùm, exortis persecutionibus, multi Christiani capti martyrizarentur, eorum gloriam cum aemulatione anhelans, sibi portionem fieri desiderabat.

Quadam die, pro Deo sanguinem fundendi desiderio aestuans, ad tribunal iudicis magno passu perrexit. Quem ubi iudex percontans christianum esse cognovit, in carcerem misit. Alterā die, e custodia eductum, ut Deum desereret, alios proderet, verbis suadere, minis terrere conatus est.

Ut autem Deum constanter confitentem vidit, iratus virgis caedi, variis cruciatibus affici jussit. At fortis confessor, ubi verberibus et diversis cruciatibus tortus, cùm nulla aut tormentorum vi, aut acerbitate vel lenitate verborum a proposito deterreri possit, dilacerato corpore, exsanguis iterum in carcerem mittitur angustissimum, omni immunditia ac foetore repletum.

Itaque illā in tenebrosā custodiā inclusus, acerbissimè ac crudelissimè verberatur a satellitibus, qui plagas super plagas addentes immanè feribant, ut, dicto uno apostasionis verbo, exiret. Sed fidelis Christi miles, omnia tormenta forti animo ac hilari vultu sustinens, verbis invincibilibus veritatem religionis vindicabat. Unus satellitum accedens, dulcibus verbis eum hortabatur, ut dicto iudicis obediens necem vitaret. Cui respondit Petrus : “Cur hujusmodi consilium mihi proponis?” Quo audito, ait satelles : “Utique verum dicis : Te rogo, O Taittsera, ut digneris me adjuvare, si mihi paulisper succuras, ego salvari potero.”

Ipse in tantā suppliciorum acerbitate positus, alios incarceratos fideles exhortabatur et apostatas, ut ad gratiam Dei redire mererentur, piis verbis suadere conabatur. E carcere eductus, denuò ad supplicia ducitur, et cùm sexcentos amplius virgarum ac quadraginta ictus Tsitokon recepisset, corpore quidem fuit debilitatus ac dilaceratus, animo tamen fortior et ardentior effectus, internam laetitiam exterius manifestabat. In omnibus tandèm invictus suppliciiis, die 25a lunae 9ae 1839 strangulatus ad Deum migravit anno aetatis suae decimo-quarto.

TSENG COUCPO

TSENG COUCPO nobili genere ortus, dum trigesimo aetatis anno floreret, intellectā religionis Christianae veritate, Christo nomen dedit. Post biennium sacro baptismatis fonte ablutus, sese Deo strictius jungere coepit. Multa charitatis officia erga fideles exercutus est, et, jubente Patre Pacifico, omnes Christianos in hospitium recipiebat. Paupertatem et varias miserias, quibus subjectus fuit, cum patientiā pro Deo sustinebat.

Circa lunam 7 1839 propter fidem captus ad tribunal Potseng perductus est. Ibi liberè Deum Creatorem confitens in acerba supplicia ducitur. Sed cùm constantissimè in fidei veritate permaneret, et nullo modo a proposito dimoveri posset, ad Iengtso tribunal perductus est. Ah! proh dolor! victus, relicto Deo suo, ad sua statim dimissus est. Domum reversus, cùm suum errorem cognovisset, die ac nocte dolere ac gemere coepit. Dein cujusdam christiani exhortatione permotus, directo cursu ad tribunal Iengtso perrexit. Interrogatus a satellitibus confessus est suam erga Deum infidelitatem, et petiit pro Deo mori. Sed fuit rejectus velut amens habitus. Pari modo nec secundā vice admissus est.

Demum fatigationibus, morbo, animi dolore ac vulnerum acerbitate consumptus, cùm ire non valeret, in tribunal evectus est per bajulatores pecuniā conductos.

Hac quoque vice repulsus, ad fores tribunalis gemebundus jacuit. Cum judex egrederetur, repetitis clamoribus confessus est se paenitere Deum derelinquisse, et pro hac culpā mori optare. Judex illum expelli jussit. Sed ipse clamans ac lamentans supplicabatur, ut audiretur ; quare judex sui impotens in carcerem misit.

Inde transactis paucis diebus in tribunal Pottseng remittitur, ubi viginti quinque Tsitokon ictibus laceratus in custodiā mortuus est an. aetatis 41, 1839.

Sufficit pro nunc.

Rmo Patri, Libois procuratori in Macao